

178921. 89
4

PROCANCELLARIUS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBURGENSIS CANONICVS
PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR
ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

ADOLPHI WENCESLAI SCHMIDTII

A. M

A. D. XVI. APRILIS MDCCCLXXXIX

P V B L I C E C E L E B R A N D A

I N D I C I T.

HISTORICUS TACITVS

IOSIMONIUS TRISTRAMINAS

AD EYAS THERINIANUM
CARTERIAE LIBRARIAE UNIVERSITATIS GESUITICARUM
MARIEAE THERESA ET GALLICANAE

SOCIETATIS UNIVERSITATIS CAROLINIANA

HERCULANENSIS CAVENDISHII

EDITIONIS MENECHTI 1612

EDITIONIS MENECHTI 1612
HABENTUR IN LIBRARIIS UNIVERSITATIS MARIAE THERESA ET GALLICANAE
SOCIETATIS UNIVERSITATIS CAROLINIANA
LIBRARIIS UNIVERSITATIS MARIAE THERESA ET GALLICANAE
SOCIETATIS UNIVERSITATIS CAROLINIANA

LIBRARIIS UNIVERSITATIS MARIAE THERESA ET GALLICANAE
SOCIETATIS UNIVERSITATIS CAROLINIANA
LIBRARIIS UNIVERSITATIS MARIAE THERESA ET GALLICANAE
SOCIETATIS UNIVERSITATIS CAROLINIANA

MISCELLANEORVM

AD IUS PERTINENTIVM

SPECIMEN VI.

CAPVT XVII.

Pro rigore cambiali contra Caietan. Filangierium.

Innumerabiles inter huius aevi scriptores suo merito eminent
CAIETANVS FILANGIERVS, Eques Neapolitanus, cuius de
 legislatione liber ab omnibus, qui harum rerum gustum
 habent, in oculis fertur maximisque extollitur laudibus.
 Neque enim **FILANGIERVS** eorum ex numero est, qui
 scribendi laborantes libidine saepius iam dicta repetunt suis
 que lectoribus cramben apponunt centies recocant; sed ipse
 potius cogitare cogitataque mira suavitate atque eloquentia
 exprimere didicit *). Quid igitur mirum, si omnes, qui de his
 rebus iudicare possunt, quasi signo aliquo dato ad hunc librum
 legendum et relegendum concurrent lectionisque dulcedine

A 2

laetent-

*). Postquam haec scriperam, **FILANGIERVS** cheu! anno proxime
 superiore viuere desit. Edidit autem operis sui Libros quatuor Tomis
 VII. quorum tres posteriores Neopoli 1785. prodierunt. Spes tamen
 nobis facta est, fore vt ex chartis ab eo relictis id, quod restat, ex parte
 saltem in publicum edatur. In linguam vernaculam, quantum quidem
 scimus,

lactentur et suauiter afficiantur? Ego certe haud mentiar, si, quod CICERO de se gloriatus est, παιδείαν scilicet Kύρος legendō se contriūisse, ad me quodammodo transtulerim, librumque FILANGIERII a me itidem legendo paene contritum esse dixerim.

Quemadmodum autem nullus in his terris scribitur liber, qui ita comparatus sit, ut nihil plane in eo reprehendi possit, ita nec σύγχυτος illud omni ex parte perfectum omnique labe immune esse videtur. Me quidem duo maxime in eo suspensum tenuere, scilicet quod FILANGIERIUS cum instituta feudalia nexumque clientelarem, tum etiam rigorem, quem vocant, cambialem summo studio impugnat, et vitrumque penitus tollendum esse contendit. De priore nihil iam dicam, in primis cum is aduersarium ideo iam nactus sit IOSEPHVM GRIPPAM in libro, cuius titulum in margine a) adscriptimus. Dicam autem in praesenti de rigore cambiali haud omnino abolendo, FILANGIERIUM que hoc in argumento haud satis recte versatum esse ostendere conabor. Quod antequam faciam, monere oportet, quid id demum sit, quod ille improbat et reiiciendum censet. Loquitur scilicet de carcere aut custodia, quae debitorem, pecuniam ex litteris cambialibus debitam iusto tempore haud soluentem, expectat. Hanc igitur custodiām (*arrestationem barbari vocant*) FILANGIERIUS tribus maxime

de

scimus, non nisi quatuor partes eiusdem operis translatae fuerunt. Haud tamen dubitamus, quin doctissimus G. C. K. LINCKIUS, Altorfinus, reliquas etiam partes in linguam germanicam verfurus sit.

a) La Scienza della Legislazione sindicata, Overo Riflessioni critiche sulla scienza della legislazione del Sign. Cav. D. GAETANO FILANGIERI; opera di GIOSEPPE GRIPPA, Napoli 1785.

de causis reiicis, scilicet quod non modo manifesto *iniusta*,
sed praeterea etiam *inutilis* et *noxia* sit b).

Iniusta est, inquit, quia infortunium hic confunditur
cum delicto, et, qui nullum laesit pactum, iure quodam
priuat per recte. *Inutilis* est, propterea quod debitores
(in primis mercatores), qui soluendo sunt, ratione multo
fortiore, periculo puta amittendae fidei, quam carceris
metu, ad soluendum compelluntur; *inutilis*, quod ad dolos
attinet debitores, quippe quos grauiores expectant
poenae, quam custodia et carcer; *inutilis*, quantum
ad eos, qui penuria laborant pecuniae, utpote quibus car-
cer facultates ad nomina dissoluenda necessarias haud solet
suppeditare, *Noxia* denique est, quia plerique debitores
carcere haud inclusi ad meliorem peruenire possunt fortu-
nam, cum contraria ex parte executio tam sollemnis, atque
manus iniectio est, debitori omnem adimat fidem, eumque
una cum ipsis creditoribus haud raro pessumdet; *Noxia* est
hanc etiam ob causam, quod occasionem praebet usurariae
prauitati, multisque familiis maximam adfert calamitatem,
cum pleraque litterae cambiales super mutuo dentur admodum
detrimento. Eadem ex ratione debitorum cambialium
custodia damnosa etiam est reip. propterea quod usurras fouendo
immodicas fenestram aperit innumeris iuuenium vitiis, in quae,
absque cambiis foret, haud incidenter, coque nec suis mi-
serere expoliarentur fortunis. Damnosa tandem est, quia
loco industriae utilis atque honestae prauam, turpem,
luctuosissimamque in ciuitatem inducit. Ita (addit) unus

A 3

legis-

b) Vid. La Scienza della Legislazione del Cavalier GAETANO Fi-
LANGIERI, Lib. III. cap. 54. P. IV. p. 677. vers. germ. Onoldi.
1787.

legislationis error mala gignit quam plurima, salubriteriasque abscondit veritates, aut earum certe minuit vim, adeo ut, qui legibus scribendis occupantur, somno quasi opprimantur perpetuo.

Audiuitis, L. B. FILANGIERI argumenta, quae prima fortasse specie non nullius videbuntur esse ponderis, et si vel ex parte veritate niterentur, facile nos in partes traherent contrarias. Nunc cum res multo aliter habeat, ut nos quoque audiatis, vehementer rogamus, quo deinde, penes quem victoria sit, existimare facilius possitis. Neque vero soli FILANGIERIO id venit in mentem, sed simile quid iam antea alii placuerat Italo, COSIMO puta AMIDEO, qui iisdem fere, quibus FILANGIERIUS vtitur, armis pugnauit c); atque ita, cum illius argumenta refellemus, eadem opera AMIDEO simul respondebimus, vnaque veluti de fidelia dnos dealbabimus parietes.

Ait igitur FILANGIERIUS, debitoris cambialis custodiam (vulgo *incarcerationem*) ideo esse iniustam, quod infortunium sic confundatur cum delicto, quique nullum laeserit pastum, iure quodam priuetur perfecto. Verba audio, rem ipsam haud video. Quisquis datis litteris cambialibus mutuam sumit pecuniam, ille scit, aut scire saltem deber, quacunque inciderit fortuna, veniente die mutuum esse restituendum, neque creditori aduersae exceptionem fortunae

c) *Conf. Discorso filosofico-politico sopra la carere dei debitori; nuova edizione con aggiunte, Firenze 1783.* cuius, ni fallor, libelli (Imae scilicet edit.) versio germ. sub tit. *Philosophisch-Politische Abhandlung über die Gefangenennahme der Schuldner*, Franc. et Lips. 1773. prod. In eandem quodammodo tentiam inclinare videtur RAYNALIVS in libr. qui sub tit. *Esprit de Gu. Tb. Raynal; Recueil également nécessaire à ceux qui commencent, et à ceux qui obéissent*, Londini 1782. prod. P. I. Sccl. 1. cap. 23.

fortunae iure posse opponi. Qua igitur fronte nihilominus ea vtetur contra creditorem, ad quem infortunium, quod debitor aut casu passus est, aut sua sibi culpa contraxit, nihil pertinet? Quodsi debitor, aduersam passus fortunam, obligatione res alienum reddendi solueretur, infortunium reapse non ad ipsum, sed ad creditorem potius redundaret. Quando igitur debitor, qui haec omnia nosse debet, nihilominus litteras dat cambiales, nonne eo ipso significar, se aduersam fortunam in detrimentum creditoris haud allegaturum esse?

Deinde quotidiana docet experientia, decem ex debitoribus vix unum fortunae iniuria ad incitas redigi, plerosque autem sua culpa decoquere et soluendo esse definere. Onos, inquiunt, miseros!

— *Oues furtio, morbo perire capellat,
Spem mentita seges, bos est enclus arando.*

Inanes querelae! Certe furtum simplex, quod in bene constituta ciuitate debita boni patrisfamilias diligentia praecaueri facile potest, casus inter fortuitos haudquaquam referendum est. *I. 52. §. 3. D. pro soc. l. 23. D. de R. I.* Haud magis animalium mors minorque frugum prouentus eiusmodi casus fortuiti sunt, qui praeter morem aut opinionem accidunt. Sunt enim hac res earum ex numero, quae a re pecuaria agrariaque separari haud possunt, quasque cum aliorum annorum vertestate aequo compensare animo par est.

Sed naufragium, inquis, passus sum. Audio, ne que tamen tibi omnino consentio. Magnum, amice, contrahis aes alienum, pecuniamque mutuo acceptam fortunac aleae exponis. Quodsi deinde aut naufragio, aut incendio, aut aliorum fraude aliena cum tuis amittas, ecquis a culpa te

te facile absoluet? Ego nequaquam. Tuam per me licet in aleam exponas pecuniam, dummodo a mea abstineas, neque meam simul fortunam in periculum adducas. Fac autem, reapse eiusmodi incidere casum, qui nulla, quamvis magna, circumspectione et diligentia praecaueri potuerit, debitoremque vere ad incitas redigat, tunc sane creditor haud facile tam inhumanus erit et stultus, ut debitorem carceri mandare, mandatumque suo sumtu alere velit. Sed fac, velle. Aut magnopere fallor, aut breui, ubi mens ab ira resedit calorque deferbuit, velle desinet. Non enim tam exordes sunt homines, ut diu inanis facere impensas, suamque incassum iactare velint pecuniam. Nae casas hic esset rarissimus atque insolitissimus, qui si quando incidaret, meminisse oporteret, quod in l. 4. — 6. D. de Leg. scriptum legitur: *Ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituantur. Nam ad ea portius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eueniunt.* Τὸ γὰρ ἀπόει δἰς παραβολίσσου οἱ νομοθέται.

Quodsi quis existimat, pleraque, hominibus quae subinde accidunt, infortunia fatali quadam et haud euitanda euenire necessitate, vehementer errat. Pleraque certe mala nostra ipsi culpa nobis contrahimus, nostroque, ut dici solet, equo aduehimus. Vetus dictum est: *Fortuna suis cuique singitur moribus, verissimeque PLAVTVS Trin. II. 2. 84. Nam sapiens quidem, pol, ipse singit fortunam sibi.* Iam alibi monuimus, sollempne hoc hominum virtutum esse, ut, si quid peccarint, id ipsum fortunae aut aliis delegant, ideoque sedulo caendum esse, ne culpam stultitiamque hominum cum casu fortuito confundamus. Plerosque sane eorum, qui decoquunt, aut inanis stultaque ambitio, aut alea turpis, aut gula foedissimumque patrimoniorum exitium, culina, pessumdat et ad incitas redigit,

Et

*Et luxus, populator opum, cui semper adhaerens
Infelix humili gressu comitatur egestas.*

Eiusmodi homines qui sua impensa in carcere aliquamdiu detinet, nae is bene meretur non modo de ipsis, sed etiam de rep. vt scilicet alii inde sibi exemplum sumant, spemque impunitatis, maximam peccandi illecebram, souere desinant. His probe consideratis nemo, spero, sibi persuaderi patietur, debitorem cambialem, nomen haud dissoluentem, nullum laedere pactum, iniuriaque iure quodam perfecto, i. e. si recte te, FILANGIERT, intelligo, libertate ad tempus priuari. Isne fidem haud fallit, qui datis litteris cambialibus die veniente aut se se abscondit, aut fugae se mandat, aut inanibus vtitur exceptionibus, aut, quod saepe fieri vidi, creditori suum repetenti etiam conuicium facit malaque verba occinit? Quantum reip. interfit, fidem seruari, tam publicam, quam priuatam, sciunt omnes, qui vel leuiter, quid salus publica postuler, cognitum habent. Bene CICERO de Off. II. 22, *Qui pecunias creditas debtoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reip. concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis admuntur, aliis condonantur pecuniae: deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet; et mox cap. 24. Quam ob rem, ne sit aes alienum, quod reip. noccat, prouidendum est. Quid multis rationibus caueri potest: non si fuerit, vt locupletes suum perdant, debitores lucentur alienum. Nec enim villa res vehementius remp. continet, quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Quia de re nos vberius alibi d), quod hic repetere nihil attinet.*

d) In diff. de cessione bonorum contumeliosa, nec non Aduersar. Lib. III.
cap. 7.

B

Cete-

Ceterum bene habet, quod FILANGIERIVS eo abstinuit arguento, quo inter alia vsus est AMIDEVS, nefas scilicet esse, pacto se ita alicui obstringere, ut deinde officiis, quibus ciuitati obstricti sumus, satisfacere nequeamus. Quasi scilicet fortius haud esset vinculum, quo quis suo obstringi creditori, eo, quo generatim (sine nexu singulari) tenetur reip. Quasi, cum officiis satisfacere haud possumus vniuersis, laxius vinculum haud cederet fortiori. Quodsi cuilibet, nisi singulares obstant rationes, relicta etiam patria alibi fortunarum sedem constitutere fas est, quidni ad carcerem se obstringere, aut obligationem cambialem contrahere liceat *e)*? Sane, qui alter statuunt, aut data opera labefactant fundamenta reip. aut, quid publice expeditat, nesciunt. — Sufficient, spero, haec ad demonstrandum id, quod nobis propositum erat, custodiam scilicet debitoris cambialis nequaquam esse iniustum.

Ad alterum iam veniamus momentum, quo de utilitate rigoris cambialis quaritur; et hanc quidem FILANGIERIVS tribus maxime de causis pertinaciter negat. Inutilis, inquit, rigor est cambialis ideo, quod debitores, qui soluendo sunt, ratione multo fortiore, periculo puta amittendae fidei, quam carceris metu. ad soluendum compelluntur. Itane malum apud debitorem periculum amittendae fidei plus, quam carceris metus, valere tibi videtur? Credat, qui volet; ego nequaquam. Quodsi enim in hominum vitas moresque paulo attentius inspexeris, facile repries, vehementius eorum mentes percillere mala proxima,

et si

e) Vbi tamen praeter minores et mulieres, haud mercaticas, exceptas volumus eiusmodi personas, quae reip. arctiore nexu, quam reliqui ciues, obstrictae sunt, e. g. clericos, milites, de quibus diximus in libello, *Grundzüge des Wechselrechts* inscripto, §. 30. sq.

et si minora, malis adhuc incertis atque remotis, quantumvis maioribus. Quis igitur dubitabit, quin metus carceris, qui debitorem haud soluentem illico exspectat, plus apud eum valeat fidei amittendae periculo adhuc incerto? Et quam facile quo es debitor concipiet spem reparandae fidei in praesenti amissae? Quae volumus, et credimus libenter, votorumque nostrorum nos compotes futuros esse, fere semper speramus. Et fac, debitorem spe sua interdum deturbari ac deiici, vel sic tamen, modo pecuniam suam retineat, facile se consolabitur. Quid enim apud multos, ut iam IUVENALIS dixit, saluis infamia nammis? Nonne saepius videmus homines, quamvis magna apud viros bonos laborent infamia, nihilominus apud alios admodum esse gratiosos, modo lautas illis praebere dapes, eosque, ut CICERO ait, malis pascere orbiculatis possint.

Haud maioris ponderis altera FILANGIERII est ratio, quae quidem his continetur verbis: Inutilis, quod ad dolosos attinet debitores, quippe quos grauiores exspectant poenae, quam custodia et carcer. Nonne enim multo facilius est creditori, contra debitorem haud soluentem rigore vti cambiali, quam probartione doli se onerare difficult et ardua? Miror profecto, virum tam perspicacem ratione vsum esse tam ficalnea atque inani.

Tandem rigor cambialis, quantum ad debitores pecuniae inopia laborantes, FILANGIERIO vel ideo inutilis viderur, quod his ipsis carcer facultates ad nomina dissolvenda haud soleat suppeditare. Sed nec hoc perpetuo verum esse, ipso vnu atque experientia edocemur. Quoties enim non fit, vt aut vxor, aut cognatus aliquis, aut amicus pro debitore soluens fidem eius liberet, creditorque suum hoc modo recipiat? Deinde nec desunt, qui inopiam

tantum simulent, nec vnuquam, nisi coacti, aes alienum soluant; in quos apprime conuenit illud, nescio cuius:

*Sollicitum te cura tenet, non, quomodo soluas,
Quomodo non soluas, maxima cura tua est.*

Eiusmodi homines, quorum profecto haud parvus est numerus, nullis facile expugnaueris precibus, sed solo carceris metu ad solutionem adegeris, adeo scilicet nihil a se ipso, sed omnia coacti faciunt.

Supereft, ad tertiam etiam FILANGIERII argumentum, a noxia et damno, non modo ad debitorem, verum etiam ad creditorem ipsamque remp. a rigore cambiali, ut opinatur, redundante, petitum respondeamus. Damnosa, inquit, est debitoris custodia, quia plerique debitores carcere haud inclusi ad meliorem peruenire possunt fortunam, cum contraria ex parte executio tam sollemnis, atque manus inieictio est, debitori omnem adimat fidem, eumque una cum ipsis creditoribus haud raro pessumdet. Mihi vero neutrum vniuerse verum esse videtur. Prius certe non nisi de minima debitorum parte facile concesserim. Omnes rerum suarum haud incuriosi, quibus sanum est sinciput, quosque fides nondum penitus desituit, maxime, sat scio, cauebunt, ne periculo custodiae fese exponant, omnemque motu vebunt lapidem, ut aut nomen dissoluant, aut rem alia ratione decidant; quod si facere negligant, magnopere vereor, ne spes omnis melioris fortunaec decollarit. Sed fac, quemquam a creditore paulo seuiriore praeter opinionem precipitari, ei certe haud difficile erit, res suas in posterum diligenter administrando fidem, nonnihil debilitatem, reparare damnumque acceptum sarcire. Haud quidem negaverim.

verim, fieri interdum posse, ut festinata debitoris custodia cum huic, tum ipsi creditori damnum adferat. Sed cum nihil in his terris ab omni parte perfectum sit, cardo rei in eo hic vertitur, numnam incommodum e rigore cambiali nonnunquam fortasse proueniens magnis utilitatibus commodisque inde oriundis praeponderetur? quod quidem nemo, qui rem iusta lance animoque a praecuditatis opinioribus libero ponderauerit, in dubium vocabit. Est enim hoc optimum et praesentissimum remedium contra fraudes fallaciasque malorum illorum hominum, qui veluti pecuniae accipitres semper quaerunt, quem deuorent, die solutionis autem veniente creditores suos maxima impudentia elidunt, eosque vel pipulo differunt, sibi dictum existimantes illud Plautinum:

*Eiicite ex animo curam atque alienum aet,
Ne quis formidet flagitatem suum.*

Quando ex iis quaeritur, quidnam creditoribus suis reliquum esse passi sint, mala proferunt nomina, quorum nihil exigi potest, fere ac THEODORVS quondam Rex, qui, cum Londini carcere esset inclusus, et ex eo quaereretur, quidnam haberet, quod suis offerre creditoribus posset, Regnum, inquietabat, *Corsicae.*

Equis fidem aliis facile habebit et mutuum dabit, si ipsi timendum sit, ne pecuniae loco conuicia recipiat, aut taedium saltem molestaeque litis sufflamina perferre necesse habeat? Quando autem solutione impedita fides (maxime inter mercatores) semel concidit, illicet, actum est de commerciorum flore et reip. salute, propterea quod non pos-

sunt vna in ciuitate multi rem atque fortunas amittere, vt non plures secum in candem calamitatem trahant.

Quod FILANGIERIVS tandem addit de vsluraria prauitate indeque oriunda familiarum calamitate, nec non de iuuenum, ope litterarum cambialium aes alienum contrahentium, vitis, aliisque, quae cernere sibi videtur, cambiorum incommodis, ea omnia non ad rectum eorum vsum, sed abusum potius pertinent. Iam perauulgatum est, rei cuiusdam abusum haud tollere v' n eiusdem rectum atque legitimum. Quid quaeso in his terris est, quod, si quis eo male vtatur, noxiun fieri haud poscit atque damnosum? Quodsi autem omnia, quibus male interdum vtuntur homines, tollere e medio fas esset, quid saluum nobis restaret et integrum? Sint modo leges, vsluras prohibentes immodi- cas, sint leges, iuuibus cambiorum vslu interdicentes vi- tiisque negotiationis collybisticac medelam adferentes: sint etiam, qui, ne prauus vslus leges suam redigat in potestatem, prouideant; et nihil reip. a litterarum cambialium vslu me- tuendum erit. Contraria ex parte tot tantaque sunt negotiationis collybisticac commoda atque emolumenta, vt pauca nulliusque fere momenti incommoda, ex eius abusu forte prouenientia, cum illis comparari nullo modo possint; quod quia iam alibi ostendimus, ostenderunt et alii, actum hic agere nolumus, maxime cum non de cambiis generati, sed de rigore tantum cambiali, optimo calumniarum praecidendarum fideique, qua publicae, qua priuatae, ser- vandae remedio, dicere insituimus.

Nec

Nec est, quod quis mihi fortasse obiiciat, esse tamen prouincias, in quibus rigor cambialis aut plane non *f*), aut saltem non omni modo in vsu si *g*), quarumque salus ea re nihil periclitetur. Eset enim hoc argumentum eorum ex numero, quae absone dicuntur et inania, propterea quod hic non de necessitate, sed de vtilitate atque commodis rigoris cambialis quaeritur. Stare posse remp. et si haec fiduci seruandae ratio in ea haud vigeat, nemo negauerit. Sed annon satius sit cum ad florem commerciorum promovendum, tum ad fidem in ciuitate seruandam, eo vii remedio, hoc est, quod quaerimus, et, ni animi fallimur, iam demonstravimus. Sunt sane prouinciae, sunt regiones, in quibus alia etiam instituta, quamvis saluberrima, ignorantur, quaque ideo nequaquam intereunt. Quin autem eadem instituta ad florem atque salutem aliarum prouinciarum, in quibus introducta sunt, multum conferant, ciuiumque commoditatem et felicitatem nimium quantum augeant, id quidem in dubium vocari haud potest. Nemo facile mihi persuaserit, tantum apud nos fore commerciorem florem, tamque paucas de violata fide querelas, nisi rigore vteremur cambiali, debitoresque scirent, veniente die aut soluendum, aut in carcere migrandum esse. Mihi quidem in praesenti sufficit, contra FILANGIERIVM ostendisse, eundem rigorem neque iniustum, neque inutilem, nec denique noxiuum esse atque damnosum. Vos iam decernite, quibus ius suf-

fragii

f) E. g. in terris Fuldenibus. Conf. EVGEN THOMAS *Entwurf der Fuldischen Gerichtsverfassung*, Fr. a. M. 1784.

g) Vid. PERILL. DE STUCK *Essais sur divers sujets interessans pour l'homme d'état et de lettres* (à Berlin 1785.) p. 9.

fragii est! Si, quod spero, litem secundum me dederitis,
impense laetabor. Sin aliter forte ceciderit, hoc certe

*Solamen habeo
Mortis, ab Aemonio quod sim iugulatus Achille.*

Si quem denique ipsum fortasse offenderit verbum,
seu, ut clarius loquar, si hic ipse rigor nonnullis duritie ali-
qua laborare videatur, iis quidem nihil, nisi hoc CICERO-
NIS ad Brut. Ep. II. *Salutaris severitas vincit inanem speciem
clementiae, reponam.*

Nunc

Nunc autem indicenda sunt sollemnia inaugralia
CANDIDATI DOCTISSIMI
ADOLPHI WENCESLAI SCHMIDTII

A. M.

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis
 exposuit:

*Natus sum Kozeniczae propter Varsouiam, anno huius seculi LVI.
 patre Ioanne Theophilo, qui quondam in Potentiss. Reg. Poloniae et
 Elektor. Saxoniae exercitu stipendia meruit, nunc vestigium exactoris
 Stoessene, prope Numburgum, munere fungitur, matre Eleonora
 Eberhardina Hertelia; quos quidem parentes optimos saluos adhuc
 atque incolumes venerari me posse maxime laetor. Horum igitur cura
 et fide factum est, ut admodum puer, Polonia reliqua, a Thünecko,
 Stoessene Cantore, quem et mortuum grata memoria prosequor, religio-
 nis et litterarum initii imbutus in scholam Numburgensem Senatoriam
 mitterer, ubi Traegero, Mehmello, Staffelio, b. Milkio, et Schützio,
 nunc Directore Gymnasii Gerani dignissimo, praceptoribus nouem annis
 continuis usus sum, quorum maxima in me merita pie semper venerabor.
 Inde anno MDCCCLXXVI. ad hanc litterarum vniuersitatem accessi,
 a I. L. E. Püttmanno, tum Rectore Magnisico, ciubis academicis ad-
 scriptur. Quum vero id mihi propositum staret, ut in Academia theolo-
 giae studia traxarem, omnemque in illo litterarum genere aetatem age-*

C rem;

rem: per quinque, et quod excurrit, annos hanc studiorum rationem tenendam esse existimauit, ut diuinarum litterarum studio accuratam humaniorum cognitionem adiungeret. Eo consilio secutus sum in explicandis scriptoribus Graecis et Latinis Morum, Ernesium, Eloqu. Prof. Reitzium, Ecclium, b. Clodium; in philosophia uniuersa Platnerum, Seydlitzium, Zwanzigerum; in Matheſi Bortzium; in Physis b. Func-
cium, in omni historia Burscherum, b. Koernerum, b. Boehmum, et Wenckium. Inde ad theologicas disciplinas proprius accessurus scholaris frequentauit b. Ernestii, Burscheri, b. Koerner, Mori, Dathii, Boſſekii, Hempelii, b. Hebenſtreitii. Iam vero in hoc studiorum cursu S. V. Kuinoelius, Th. D. adaedem Thomanam Archidiaconus, cui mox innotueram, in domum me receptum per quinque annos liberis praceptorum dedit, multisque modis ad hunc usque diem egregie de me mereri studuit. At valedictinis, qua tum premebar, cauſa non solum domum Kuinoeliam relinquare, sed et ad iurisprudentiam transire coactus sum. In novo hoc cursu ius naturae et Imperii Germanici publicum a b. Segero, ius civile a Schotta et Bienero, germanicum, criminalis, canonicum, et modum procedendi in iudicio itidem a Schotta, feudale a Rauio, Saxonicum a Kindio, qui nunc Dresdae Sereniss. Eleſt. Sax. a prouocationum iudicandorum consiliis est, percepi. Artem ex commentariis forensibus referendi Vir Generofſſ. et S. R. de Winckler, Facultatis iuridicae Praefes grauiſſimus, me docuit. Quibus quidem Praeceptoribus Summis atque Optimis tam disciplinae praefantio, quam aliis humanitatis liberalitatisque documentis obſtricillissimum me teneri, gratissimus profiteor. Neque silentio praeterire possum, per omnem hanc vitam Academicam patronos me habuisse, qui me confilio iuarent et re, multos, quibus omnibus ac fin-
gulis

gulis non solum publicas ago gratias et habeo semper, sed et
ut nunquam beneficiis in me collatis indignus videar, diligenter elab-
orabo.

*Praeterea ab Excell. I. C. Theoph. Ernestio in dissertationis de
usu vitae communis ad interpretationem N. T. ex cathedra philosophica
defendendas societatem adficius sum; atque ab Ampliss. Philosophorum
Ordine anno MDCCCLXXXI. summos in philosophia honores impetravi.
Examine pro Candidatura et praxi superato Baccalaurei iur. utr. honori-
bus ab Illustri ICtorum Ordine ornatus, atque ab Amplissimo Senatu
Lips. Notarii publici Caesarei munere cumulatus iurisprudentiae rerum usus
firmandae opportunitatem sum natus, cum Illustris Blümneri beneficio, in
Praefectura circuli Lips. tum institutione Hassii, caussarum patroni apud
nos celeberrimi, quorum insignia erga me humanitatis documenta grati
animi sensu semper prosequar. Caeterum potestatem caussas in foro Sa-
xonico orandi anno MDCCCLXXXVII. consicutus caussis agendis operam
nauui; nec minus scholas iuridicas, cum superiori anno commentationis
de vi atque efficacitate iuris iurandi partem priorem publico virorum docto-
rum examini proposuimus, priuatum habui.*

Ad altiora nunc progressurus a Collegio nostro, vt
summi in iure honores ipsi tribuantur, petui. Cui desiderio,
postquam in examine, quod vocant, rigoroso Collegii ex-
pectationi omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potue-
rimus, vt publice etiam de eius profectibus constet, proximo
die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II.
l. 2. C. de ref. vend. interpretabitur, mox autem a. d. XVI.
huius mensis hora IX, eodem loco Commentationis sua de vi at-
que efficacitate iuris iurandi partem alteram sine praeside publice
defen-


defendet, quo facto vir illustris atque excellentiss. D. CHRISTIAN. RAU, Supremae Curiae Provincialis et Ordinis nostri Aſſessor, Tit. de V. S. et R. I. Prof. Publ. Ord. fautor et collega honoratissimus, cui ex eiusdem Ordinis decreto promotoris munus delegauit, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis atque iuribus huic dignitati adnexis, ſola ſpe ad ſeffionem in Collegio noſtro adſpirandi excepta, ipſi tribuet atque concedet.

Quam ſollemitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROVISSIMI NOBILISSIMIQVE praefentia ſua hoſnorifica ſplendidiorem reddere velint, enixiſſime rogamus.
Sc. Lipsiae a. d. XI. April. MDCCCLXXXIX.



LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.



Leipzig, Diss., 1789 P-Z

X 241 7829

ULB Halle
006 383 351

3





178921. 89
4

PROCANCELLARIVS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBURGENSIS CANONICVS
PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR
ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

ADOLPHI WENCESLAI SCHMIDTII

A. M

A. D. XVI. APRILIS MDCCCLXXXIX

F V B L I C E C E L E B R A N D A

I N D I C I T